

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

VIII. Propos. Histor. (De Beligio.)

urn:nbn:de:bsz:31-102564

eui suffragatur non ignarus eorum moris Valerius Martialis, Cilices furti postulans, et fures notae rapacitatis vocans. Ex historicis, praeter Latinos iam commemoratos, multa ad res Cilicum pertinentia consignarunt Appianus, Plutarchus, Dio Cassius, sigillatim Cicero in or. Verrin. III. pro Lege Manilia, et in epistolis passim. De vino et unguentis speciatim Athen. lib. I. et lib. XV. de croco Solinus c. l. Adde corium Cilicium, et magnum eorum numerum qui corio operati sunt, ut post Dionem Chrysostrum confirmavit Libanius, quibus testimoniis illustratur Paulus ὁ ἑκατονταρχὸς, Actuum Apostol. XIX. 3. Eo spectant Vdones Cilicii, quibus centesimum quadragesimum epigramma lib. XIV. inscripsit Martialis. Tapetes hodie Tarsi confectos e Cilicia exportari, recentiores navigationum libri testantur. Pantherae hinc Romam missae atque in publicis ludis exhibitae sunt quarum meminerunt Cicero et Plutarchus. Cilicis cameli setas novo exemplo dixit Nicolaus Villanus Pisteriensis, qui fecit satyram, ab eruditis, et C. Barlaeo magnopere laudatam, quae inscribitur: Dii vestram fidem. Auctor notarum setas de Cilicis exposuit, p. 52. At vero Cilicis hirci setas elegantius multo, et antiquitati convenientius, proferre satyricus potuisset. Reliqua de piratica, et latrocinis maritimis, deque subsecutis Ciliciae, praesertim regnante Tigrae, commutationibus, ex Graecis pariter Latinisque scriptoribus, qui historiam veteris imperii Ro. composuerunt, abunde intelliguntur.

VIII. PROPOS. HISTOR. (DE BELGIO.)

Antiqua Belgii historia ex nemine minus peti potest, quam ex Dione, tum quia quatuor deperditos historiae Livianae libros, pro eo ac par erat, non supplevit, tum quia Belgium propius non cognovit, tum quia multa praeteriit, quae aliunde hauriamus, tum quia pleraeqve notae numerorum et vocabula in eo sunt depravata. Quamquam haec non impediunt, quominus Dionem inter prudentissimos historiae augustae scriptores numeremus.

§. II. Is vero Belgas nullo alio, nisi Celtarum nomine appellavit, Caesarisque fidem alioqui secutus, Belgarum duntaxat vocabulum immutavit, Celtasque est interpretatus, quos Caesar Belgas vocavit. vid. Dion. l. XXXIX. Collat. cum Caes. II. B. G. Quod in mentem mihi venit mirari, propterea quod multi, et nominatim Graeci, qui aevo augusto florere scriptores, Belgarum nomen Graece expresserunt.

§. III. Proinde haud levis fuit inscitia Latini interpretis, quum Belgas ex-

extulit, quos Celtarum appellatione complexus est Dio, l. XL. p. 104. edit. Xylandr. Etsi enim usu Dionis significatione paria faciunt, tamen non integrum est mutare nomina, etiamsi ad amplius aliquid denotandum proferri coeperunt.

§. IV. Tum vero Dio semper sibi similis est, moremque hunc accurate servat, ut Germanus quoque transrhenanos Celtarum nomine insigniat, Germanos autem cisrhenanos recepto Germanorum nomine constanter appellet.

§. V. Atqui vero Celtarum nomine etiam Galarae, Gallorum coloniae, sunt comprehensi, quod praeter Polybium et Diodorum Siculum Plutarchus comprobat, qui Galatas vocat, quos quidem Gallos nos vocamus, in Paulo Aemilio p. 261. edit. Xylandr.

§. VI. Ex eodem palam aperteque constat, etiam prope Istrum incoluisse, quod indicio est, in supplementis Curtianis, quae non sunt antiquiora sec. XV. perperam scriptos esse Germanos pro Celtis, l. 2. suppl. p. mih. 11. Quem errorem secutus est Iacobus VVimpbelingus epitom. cap. 5. p. 320. Proinde Arrianus, quamlibet Curtio posterior, Celtas commemorat, quorum finibus etiam sunt comprehensi Pannonae, a quibus Hunni Hungarique toto, quod aiunt, coelo distant. V. Arrian. l. 1. exp. Alex. M. De Celtica veteri conf. doctissimus Lambeckius l. 1. Bibl. Vindob. et Cluverius in Germania antiqua.

§. VII. Caeteroquin Belgium, quod Gallicum dici coeptum est, iure antiquissimo separatas rationes habuit a Francogallia, quae multum differt a prisca Aboriginum Gallia, minimeque confundi debet cum Francia Teutonica, in qua prima iuris capitulandi incunabula sunt quaerenda, quae tamen nulla solida ratione haecenus quaesiverunt plerique eruditi.

§. VIII. Carolus M. natus est in Francia Orientali, speciatim in Turingia trans Unstrutana, nominatim in Eichsfeldia, ut ex diplomate Fuldensi, quod primo omnium Christophorus Broverus edidit, apertissime constat, Abavus eius Pipinus Heristalli, quod Brabantiae finibus continetur, in lucem susceptus est, unde et Heristalli cognomen tulit. Diversum est Heristallium Saxonicum, cuius mentio fit in annal. Pithecan. 798. et apud monachum Egotiensem p. 258.

§. IX. Ineptus autem iudicii que civilis plane expertus sit, qui ea de causa Carolum M. Thuringum nuncupandum esse censeat.

§. X. Nihil melius sentiant oportet, qui aut Gallum sine adiectione, aut Germanum tantummodo nominant: revera enim nec Gallus fuit, nec Germanus accuratè nominatur.

§. XI. Proinde quum imperium Romanorum iure pacti adeptus est, nil eo nomine tituloque Germanis acquisivit.

§. XII. Fuit quidem utraqve Francia, Orientalis et Occidentalis, in ditione imperioqve Caroli M. sed iure finibusqve utraqve semper discreta fuit, alteraqve etiam praerogativam loci ordinisqve adepta est, ut vel sic intelligi possit, Franciam Orientalem non fuisse partem appendicemqve Franco-galliae, tanquam belli iure ad eam adiuncta esset: quod multi rerumqve ignari de Saxonia prodiderunt, quasi a Carolo M. in provinciam redacta esset.

§. XIII. Neqve hodierni reges, quos cum vulgo ipsi nos etiam Galliae reges vocitamus accurate hoc nomine ornantur, neqve id receperunt unquam, aut ullo vero priscoqve monumento instrumentoqve publico germano et probo ita sunt cognominati. Ut ne a limine quidem historiam salvaverint, qui a Carolo Calvo id repetere ausint, etsi illi perpetuo divisionis pacto Francia occidentalis est attributa.

§. XIV. Extra omnem dubicationem est, Galliam Belgicam, ratione cuius atqve regni Arelatensis, quod nondum desit civiliter a Germania possideri, Pontifex atqve Princeps Trevirensis Archicancellarii, sive ut veteri aevo loquebantur, Arcapellani munere perfungitur, Germanicae esse ditionis.

§. XV. Idemqve ius *metropolitanum* in Episcopatibus Metensi, Tullensi et Virodunensi etiamnum conservat, etsi supremum imperium dominiumqve illorum regi Francogallico cessum attributumqve fuit, *Ins. Pac. Monast. §. primo quod.*

§. XVI. Ratio eius pactionis fuit, quod alioqvi Pontifex primae Belgicae nullos habiturus fuisset Episcopatus suffraganeos, quod absurdum erat nulloqve modo admittendum.

§. XVII. Praeterea cessio supremi domini eodem *capite, primo quod*, facta, non proferenda est ultra fines, in quos descripti sunt praedicti episcopatus suffraganei Metensis, Tullensis et Virodunensis, propterea quod I. cessiones sunt stricti iuris: II. cessio illa pariter explicata et definita est, ut ultra ambitum districtumqve nominatorum episcopatum ne porrigatur: III. instituto paciscentium convenit haec expositio: IV. in pactionis huius §. ita declaratur atqve determinatur. V. in conventu legatorum Monasteriensi hanc in sententiam ratio est allata. VI. Nec aliter in conventu Onabrugensi coepta est declaratio Ordinum Imperii. VII. Congruit cum mente arbitratorum Ratisbonensium, quibus Rex Galliae permisit huius controversiae iudicium, etsi ob bellum postea ortum, atqve in Germaniae fines translatum, nondum subssecutus est eventus. VIII. Argumentum huius interpretationis positum praecipue est in verbis, *et nominatim Moienvicum*, Etenim dum *Moienvicum*, quod nominatim exprimitur ad praecidendam
litis

litis occasionem, includitur finibus trium dictorum Episcopatum, inde a contrario est colligendum, comitatus principatusque extra ambitum illorum Episcopatum sitos excludi. IX. Iniquum enim est, ab rege solo sumi potestatem interpretationis, praesertim quum ipse est inter partes litigantes, iureque etiudicio gentium experiri necesse habet. Estque hoc tale caput, ut in conventu pacis causa Neomagi instituto summa cum ratione prudentiaque confectum dari oporteat, habeantque Caesaris et Foederatorum legati, in quo elaborent atque enitentur. X. Summa controversiae huc spectat, ut plane moreque pragmatico loquar, eos tractus et provincias, quae sitae sunt extra districtum episcopatum Metensis, Tullensis et Virodunensis, continenturque adeo finibus regni Germanici, quod vulgo imperium vocant, non pertinere ad pactum *translativum*, quo regi Francogalliae cessum est supremum ius ac dominium trium illorum episcopatum, sed excludi ab illa nominatorum episcopatum cessione, prorsusque eo loco esse, quo sunt *immediati status*, eiusmodi provincias, quamlibet dictis Episcopatibus lege beneficia obnoxias, degenerasse a superiori *qualitate*, feudaque *hereditaria* fieri coepisse, et forum non alibi quam in Germania, in cuius ambitu extra fines nominatorum episcopatum sita sunt, fortiri.

§. XVIII. Sed mitto haec, quae publicam nostrorum temporum causam attingunt, redeoque ad Belgicam, quae etsi Germaniae iure et legibus coniungi coepit, tamen Plinius et Augusti scriptores Germaniam cisrhennam inferiorem à Belgica stricte accurateque sumta distingunt.

§. XIX. Primam Belgicam incolunt Treviri, quorum apud scriptores priscos mentio per est frequens, constatque insuper, caput rerum ibi fuisse Augustam Trevirorum, ubi quondam et domicilium Romanorum Caesarum, et officina quoque numaria fuit: alterum ex Ammiano Marcellino, Italiani expeditionis comite, testeque oculato liquet, alterum probant numi in urbe Trevirorum cusi, qui ostendunt has literas; P. TR. id est, pecunia Trevirensis.

§. XX. *Τριβάγροι* apud Strabonem, quem Geographum historicum appellare liceat, mea et multis rationibus argumentisque innixa opinione mendose leguntur, *Geograph. l. 4.* Agit enim ibi de Tungris, qui propius a Rheno absunt, nunquam enim leguntur Trivagri, etsi in antiquis codicibus Latinis, Triusgros invenimus. Contra apud Dionem restituenda est lectio *τριήρων*, quos vulgo, sed perperam exprimunt, *τριήρων*, retinetque corruptum hoc vocabulum G. Xylander, recte autem per Treviros interpretatur, *l. XXXI. p. 113.* Eam, perinde ac Belgicam, primae aetatis reges Francorum eripuerunt Romanis, fuitque ibi sedes quaedam priscorum bellorum, *Hircius de B. G. lib. 8. Ammianus Marcellinus l. 15. Rorico monachus l. 1.* Ex

Vopisco potest intelligi, imperante Tacito non aliter, quam Romam transalpinam fuisse habitam, omnibusque Belgicae et Germaniae urbibus, Remisque ipsis, et Coloniae Agrippinae praelatam, postea autem, quam Romani domicilium solumque Arelatum transferrent, populis transrhenanis cessisse in praedam, quasi datum esset hoc omen Francis Galliae potiundae. Absurdus est Guil. Kyriander, qui ultra Romanorum tempora ultimas urbis origines profert, *Commentar. de Aug. Trev. p. 2. seq.*

§. XXI. Archiepiscopatus Trevirensis, sive pontificatus Mosellanicae nunquam fuit Franeogalliae iure clientelari obnoxius, falsusque nuper et inanis eam in rem sparsus est rumor a Francogallis, qui quemadmodum a tempore Ludovici XI. Belgicam Burgundiamque ad Francogalliam adiungere in animo habuerunt, superiorique aevo, cum regnaret Henricus IV. rursum destinarunt, nuper etiam, auspiciis hodierni regis, tale consilium confectum dare voluerunt, ut cum Carolo Caspare Electore Trevirensi veluti cum Principe clientelari agerent, postularentque ab eo, ut sibi traderet Confluentiam et Ehrenberti castrum, praesidiumque Caesareum amoveret, atque adeo Christophori superioris Archiepiscopi, qui rerum potiente Ludovico XIII. se in Gallicam clientelam dederat, fortunam subiret, exemplumque imitaretur. Auctor est Fr. Belcarius, Ludovicum XI. Provincias Burgundicas, quo iure, quave iniuria invadere constituisse, in quas alioqui ipsum nil iuris habuisse, non diffitetur Phil. Cominaeus, taciteque subindicat, Ludovicum XI. qui iusto aequoque connubii titulo eas ad Gallicae gentis Principem deferre, et quod hinc sequitur, devolvere ad regnum potuisset, vindictae cupiditate incensum, domus Borgundicae bello delendae consilium atque cogitationem suscepisse, *ille lib. 3. Comment. Gall. hic lib. 8. De Henrico IV. Burbonio prodit Angelus Galluccius, in spem venisse Belgii ad reliquam Galliam rursum adiungendi, id est, Belgicam Gallicam in regni Francogallici fidem ditionemque redigendi, de bell. Belg. part. 2. l. 20. p. 463. Dudum vero hoc intellectum est F. Belgis, quibus non expediebat, ut Hispani plane frangerentur, atque ex universo Belgio abigerentur, Iohannes Sande Belg. hist. epitom. append. pag. 408. seq. Nec aliud Barneveldii propositum fuit, cum inducias ab rege Hispaniae oblatas minime respondas censeret, quibus tamen Mauritius Auriacus a mente consilioque Henrici IV. non alienus summo opere est adversatus. Auctor Christophori Austr. part. 2. p. 183. Galluccius p. 456. Causa Christophori, Pontificis Belgicae primae, in odium Ferdinandi II. suscepta, speciosisque rationibus adornata, colorem defensionae tunc, revera autem nuper oppressae libertatis effectum exitumque habuit, Adolph. Brabel, ad an. 1632. Caesarinus Fursenerius de suprematu Princip. Germ. cap. 61. Petrus Valckenier in perturbat. Europ. part. 2. p. 99, et part. 4. p. 407. Quod malo suo*

fuò didicit Carolus Caspar, cui multis oneribus molestiisque defuncto, postea-
que mortuo fides et constantia decus praemiumque immortalis laudis repen-
dunt, quippe qui cum in sententiam regis Francogalliae sese adduci non pate-
retur, et quamobrem id non posset, graviter copioseque exponeret, pro hoste ha-
bitus, et fortunis possessionibusque everfus, Augustam Trevirorum hostis licen-
tiae relinquere necesse habuit, non ignarus destinationum regis, quae eo spe-
ctabant, ut bellum in Germanos translaturus, Rheni Mosellaeque itinera in po-
testatem redigeret occupatoque Traiecto ad Mosam, victorias magis magisque
proferret.

§. XXII. Illud vero neminem, etiam modice actorum eventorumque no-
stri seculi peritum fugit, Henricum IV. cui magni nomen additum est, ab eo
tempore, quo fessam discordiis Francogalliam ab interitu vindicavit planeque
corroboravit, de Belgio, quod aegre nuper coaluerat debilitando statim confi-
lium cepisse, ut hac quoque via procederet ad Belgium Hispanicum, ditioneque
regni sui coniungeret, si Batavorum armis attritum prostratumque ipsum se de-
inceps non regere amplius sustinereque posset: has rationes si confectas habe-
ret, aditus quoque ad invadendos Batavos querebatur: hinc tendere in Germa-
niam, specieque defendendae libertatis Austrios, quos ab arbitrio rerum Ger-
manicarum seiunctos esse cupiebat, invadere, roboreque eorum oppresso, ad
nutum Germanos circumagere studebat: quod cum pro eo, ac volebat, effe-
ctum dare ei non esset integrum, filiusque etiam prohiberetur, quominus per
patris vestigia incederet ad ultimum Nepos Ludovicus XIV. continere se non
potuit, quin avum imitaretur, consiliumque perficeret, bellumque Hispanicae
ditionis Belgis specioso non solutae dotis *devolutionisque* titulo inferret. Quo
tempore primum expergesfacti sunt Foederati Ordines, omnemque operam,
consilia et vires faedusque sermonibus nostri aevi celebratum avertendo peri-
culo, quod subactis Hispanis, sibi quoque impenderet, adhibere, advertereque
animos diligenter coeperunt: quo factum est, ut in eius regis invidiam veni-
rent, belloque formidabili peterentur. Non poterat dubitari, quin his ea res
infeliciter fuisset casura, nisi Austria advigilasset, liberandique a periculo Belgii
viam reperisset, quae haud nesciebat lacesse F. Belgium, quo iter in finitimas
Belgii Hispanici regiones aperiretur, essetque hic gradus perveniendi in Ger-
maniam, grassandique ad perniciem suam. Reputabat superiorum acta tem-
porum, habita super *capitulatione* consilia, quibus sese immiscere studebant
Galli, foedusque Rhenanum, quae eo dirigebantur, ut Caesar impediretur,
quo minus Belgio Hispanico, si ab rege Francogalliae tentaretur, opem fer-
ret, unde res Hispanica in praesentissimum discrimen adducta est, neque eo
minus periculum fuit, quod Germaniae cisrhenanae ex Alsatia impendebat,
ubi nullus aequitati locus datus, pactisque etiam, quibus decem *imperialibus*
Alsa-

Alsatiae civitatibus de iure privilegiisque cautum erat, vis allata est, ut iam mutati in dominatum regis animi haec sane indicia cernerentur. Namque sacramentum ab iis exigebat, quae ii solent et possunt, qui supremum ius imperiumque civile habent, quasi cessio supremae earum praefecturae eam daret largireturque potestatem, ut Civitatibus nominis iurisque Germanici pro arbitrato suo leges ferret.

§. XXIII. Non hic repetam, quod alibi de *postliminio Austrasiae* dici coeptum est, propterea quod haec, antequam Capetingi in Francogallia regnare coeperunt, fuit iuris Germanici, neque esse nunc desit, exceptis quibusdam eius portionibus, quae pacto vel in Francogalliae potestatem ditio-nemque venerunt, vel in Lotharingiae ducatum, quatenus supremo iure auctum, redactae fuerunt, adeo ut quae diserte in illa cessione non sunt expressa, minime pro cessis haberi possint; illa nominantur *Inst. pac. Monast. §. primo quod*; et §. sequentibus; haec in transactione Norimbergensi sunt definita, eoque ad Marchionatum Nomenium, aliasque eius possessiones non porriguntur. Proinde nullum est istud *postliminium*, quod ratione Austrasiae asseruit praeses Senatus, sive parlamenti Francogallici in Alsatia, apud *Thuldenum bist. lib. 5. p. 351.*

§. XXIV. Perinde id se habet cum regno Arelatensi, cuius iure Germania non excidit, neque eius quidquam cessit attribuitve Gallis, quin et dum Helvetios, eius regni ambitu olim comprehensos, in possessione, vel quasi plena libertatis et exemptionis ab imperio constituit, quaedam praestanda sibi reservavit, de quibus vid. *Lundorp. A. P. lib. 7. p. 1108. collata epistola pragmatica 1676. nomine imperii ad eos perscripta*, unde perspicitur, eos praeter alia, ex pacto Osnabrugae convento teneri, ut non modo non frangant imperii Germanici pacem, sed ne connivere quidem aut permittere debeant, ut illa quoquo modo frangatur turbeturve. Tantumque abest, ut foedera ipsorum cum rege Galliae inita contra pactionem pragmaticam valeant, ut quoque eo casu, quo regem istum hostem imperii iudicari contingat, uti anno c10 l00 LXXIV. re ipsa quidem id contigit, ex capite contractae obligationis operam officiumque imperio navare debeant. Sed interpellati nuper rogatique, etiam nil tale susceperunt, salutemque neglexerunt Comitatus Burgundiae transiuranae, qui vulgo liber dicitur, veraque veteris regni Arelatensis portio, et Germanici regni membrum est, adeoque propter eum A. c10 l00 LXXIV. interceptum rex Galliae, nil praeter naturalem eius possessionem, est adeptus. Quem Comitatum ipsis finitimum, et patrocinii etiam nomine obnoxium, cur minime tuendum susceperint, rationes utilitatis foederum commerciorumque Gallicorum eos induxerunt, quippe nondum oblitos, amicitia societateque Gallica sese ad libertatem contendisse, quae postea pactione VVestphalica est confirmata.

§. XXV.

§. XXV. Vbi non praeterierim, Helvetios saltem comiter habere oportere regnum Germaniae, quod A. clo Ioc XLIIIX. sollicitarunt, ut exempti vel quasi haberentur, atque in societatem pacis VVestphalicae reciperentur. Quod tale est, ut plerique subveriti fuerint, ne actione ingrati liceat cum illo populo experiri, si causam imperii comitatusque Burgundici in posterum deserat, praesertim quum non solum propter inaeestimabile libertatis beneficium, officia amicitiae vicinitatisque debeat, sed etiam ex pacto ad certa praestanda, iureque patrocinii ad defensionem comitatus Burgundici teneatur. Quamquam sunt, qui putent, Germaniam non omnibus in universum iuribus in Helvetios ista cessionis formula renunciasse, sed duntaxat eos in possessione, vel quasi reliquisse, salvis alioqui praetensionibus suis. Vt cunque autem id sit, certe Geneva, mea quidem sententia, *art. VI. Instr. Pat. Osnabrug.* non comprehenditur, quia cessionum interpretationes stricte sunt accipiendae: tum vero urbs Genevensis non est *Canto*, seu pagus Helveticus, licet *Cantonibus*, nominatim Bernatibus, perpetuo foedere anno clo Ioc XXXVI. sese adiunxerit.

§. XXVI. Belgica, quatenus per pacta cessionum eius fines non immutati sunt, totusque *circulus Burgundicus* publice ac solenniter in hodiernis Comitibus Ratisbonensibus de integro pro vero et germano regni Teutonici membro habitus declaratusque est, promissa ei securitate, sive ut more pragmatico nominant, *guarantia*, ut communi ope auxilioque ab irruptionibus Gallicis defendatur. Quod accidit per decreta A. clo Ioc LXVII. A. clo Ioc LXXIV. et clo Ioc LXXVI. in Comitibus imperii facta, nuper repetita ac denuo sic confirmata, ut propugnatio eius Circuli, in quo et Germaniae finibus, quibus includitur, et patrimonio Austriae gentis, ad quam antiquo iure spectat, et Hispaniae, quae eius ratione iuris necessitudine ac fide Germaniae regno coniungitur, permultum est situm. Inanes ergo simulatiqve rumores sunt, qui in eam sententiam afferuntur, perinde ac si Hispanorum mens consiliumque sit, cum reliquiis Navarrae et Comitatu Ruscinonensi eum permutare, id est, tam insigne membrum a corpore Germanico, quod consiliorum Europae momenta ponderat quasiqve librat, avellere, gradumque praeripere sibi ad altissimam in republica dignitatem, spemque et occasionem praecidere foederum Germanicae gentis, aditumque patefacere in communis patriae et F. Belgii fines, quod qui futurum credat, eum in publicis rebus ieiune versatum esse oportet.

§. XXVII. Consilium de Circulo Burgundico integre in fidem ditionemque Germaniae reducendo pro statu illorum temporum, quibus imperabat Rudolfus II. nimis ferum erat, etsi eum propter familiae suae rationes, tum propter imperii ius causam eius pactionis, saltem auctoritatis Caesareae gratia,

tia, negligere non potuit, *Cass. Ens in actione Belgii pacificatoria p. 8. Angelus Galluccius Comment. l. XX. p. 460.* Rescripserunt F. Belgae comiter, et quibus gradibus ad libertatem pervenissent, quibusve modis eam defendissent, opemque Caesarum invocantes, nitentibus contra Hispanis, destituti fuissent, eoque pro liberis se gessissent, proque talibus a regibus rebusque publicis haberi coepissent, foederaque cum iis pepigissent, atque adeo possessionem libertatis constanter retinuisent, regisque Hispanici imperio in perpetuum renunciassent, extremisque extrema adhibuissent, quippe qui vidissent peti salutem reipublicae, violari iura omnium, leges pactaque in solidum subverti, privilegiaque eripi in universum. Postea, quam induciae A. clo lcc IX. fierent, non contradixit Caesar, passusque Hispanos pacisci, nec rebus, neque consiliis est adversatus, ut hinc coniectura capi posset, non improbare eum, quod ab Hispanis in ea causa ageretur, quorum ea tunc fortuna erat, ut nil subsidii expectarent a tali Caesare, in quo et voluntatem, et facultatem iuvandi partes suas desiderabant, eoque alium Caesarei regiminis statum optabant, nec obscure in spem novi successoris erigebantur. Proinde non est simile vero, nec fide eventorum comprobatur, quod nuper dici coeptum est, spectasse id Caesarem Leopoldum, ut F. Belgium denuo Germaniae illigaret, quippe qui satis habet, sua et Hispaniae Germaniaeque causa impedivisse, quominus foederatae provinciae ab rege externo praedae loco acciperentur. Etenim pace Monasteriensi A. clo lcc XLIIIX. iura, leges, libertas F. Belgii, non contradicente Caesare, cuius alioqui interfuisset contradicere, plene integreque firmata, unde converso in Austrios studio, Gallos minus aequos habuit. Quamquam haud negaverim, Italiae regulis rebusque publicis ad securitatem profuturum, si arctiori foederis iure se cum Germanis sociarent, ut, quotiescunque opus est, mutua ope viribusque coniunctis sublevare se tutarique possent, praesertim quum ea rerum facies est, ut praepotens vicinus rex, qui Genuam, quasi clavem Italiae infestat, toti fere Europae sit metuendus.

§. XXVIII. Nec vero novum atque inusitatum est, ut ex Belgica dominatus instruendi ratio profecta fuerit, quod certis documentis probari conficique possit Carolum audacem, quum spreta imperatoris Friderici III. auctoritate, invaderet Lotharingiam, sine qua Galliae Belgicae regnum constare non poterat, hanc potiundae monarchiae viam maximo cum detrimento Germaniae iniisse. *Franciscus Belcarius Comment. rer. Gall. l. 2. p. 54.* Haud temere faciat, qui cum rebus actisque Caroli audacis superiorum annorum gesta comparaverit, quae unumquemque moneant, quid et quantum ex praeteritis liceat de instantibus iudicare.

§. XXIX.

§. XXIX. In Belgia secunda, nominatim Aquisgrani, ius *diocesanum* habet Pontifex Germaniae II. sive Archiepiscopus Vbiorum, qui Coloniensis hodie ab urbe Agrippina, veteri Romanorum Colonia, nominatur. Quae cur in *Notitia imperii*, quae mea quidem opinione A. CCCC. XXXIX. confecta est, omissa fuerit, non est, quod miremur, quum eo tempore in Francorum fide ditoneque esset. Nam quod Urbem Aquisgranensem attinet, eius origines a primordio regni Carolovingici sunt repetendae, quod tale est, quamobrem intelligi possit, in notitia imperii eam minime quaeri oportere.

§. XXX. Diploma, quod Aquisgrano concessum vulgo putant, vendicantque Carolo M. quodque anno clo LXXVI. a Friderico Aenobarbo, fabulosi istius aevi opinione decepto, est confirmatum, nec formam styli curiae Carolovingicae consentientem, nec verum probumque antiquitatis documentum ostendit. Extat in *fastis Belgicis et Burgundicis* p. 54. seq. apud *Aub. Miraeum, discipulum quondam Iusti Lipsii, de cuius dicendi charactere hoc unum addimus, quod novus sit minimeque pragmaticus, et nullo etiam idoneo charactere Laconico expressus, nullaque ratione imitandus. Ex qua causa etiam ab historicis acerbe notatus est, cuius insectationis summa est apud Iul. Caes. Bulergerum hist. l. XII. p. 389. Miraeus de eo pronunciauit Angelus Galluccius com. de bell. Belg. part. 1. p. 554. qui eum in proprio dicendi genere familiam ducere affirmat, quod ultra admittimus, si de novo et non usquequaque Romano intellectum velit, sin de proprio, characteris idonei Romanique ratione intelligat, characterum dicendi differentias haudquam est asscutus. Neque hic satisfacit Caspar Ens hist. rer. Belg. lib. XXVI. p. 404. 405. Qui vir quidem alius doctus et prudens, sed in hoc genere, quo eruditionis interioris monumenta ponderantur, Lipsii elogio minime facit satis.*

§. XXXI. Nihilo rectius de Aquisgrano existimarunt Conradus Peutingerus, et qui hunc secutus, Nicolaus Reusnerus, in *urb. imp. p. 25.* Res eo redit, quod caput sit Galliae Belgicae, instarque Romae tertiae et transalpinae, apud *Alcuinum Albinum in Potmate de Carolo M. Nithardum hist. l. IV. sub initium*, qui sedem primam Franciae nominavit, ubi Carolus et excepit et audivit legatos, et a Graeco Romanorum legatis etiam Imperator et *B. sicut*, quod elogium aliis regibus non addebatur, sed proprium perpetuumque dignitati augustae erat, Caroloque ex superiori transactione conveniebat, appellatus fuit, *A. Fr. an. 812. collat. an. 802. et 810.* Deinde quod ibi palatium sit regium, unde Aquispalatium, et Aqvense palatium in annalibus Francorum semel iterumque memorantur. *V. Fragmentum Vrsisianum p. 2. pag. 78.* Haecenus quidem recte et vere. Tum quod sanctione Carolina constitutum sit, ut regum Germaniae inauguratio non alibi, quam Aquisgrani peragatur: quae sententia nullo vero germanoque monumento ful-

citur, nec tabulis, seculo XII. confectis, doloque malo suppositis, probatur. Posthaec, quod propter eam Archiepiscopo Germaniae cishenanae inferioris ius consecrandi Caesaris, quatenus regis Germaniae, sit concessum. Quod pariter nullo antiquitatis testimonio evinci potest, ratioque et eventa huic sententiae adversantur. *Ratio*, quia pontifex Germaniae primae, qualis est Moguntinus, dignitate sedis munerisque in Germania maximus, more aliarum Christiani nominis gentium ius praecipui quoque in hac consecrationis causa tutari potius, quam negligere voluisse argumento *iuris primatus Ecclesiastici* in Germania *ei competentis* iudicatur. *Consecrationis*, dico, quippe quae actus est sacri ordinis, neque cum inauguratione, sive coronatione paria facit, quod vel uno Hludovici pii exemplo doceamus, *An. Franc. Pitb. an. 817. Eventa*, quia constat, nec omnes Germaniae reges Aquisgrani consecratos, nec eos etiam omnes, qui ibi consecrati sunt, manu operaque Coloniensis fuisse consecratos. Solet quoque huc afferri exemplum Sigfridi Moguntini, ut qui Aquisgrani Fridericum II. coronasset, *Petrus Merffacus anal. Archiep. Mogunt. examen iteratarum vindic. iuris coronandi pro Archid. Colon. p. 27. Conf. auctor fragmenti veteris apud Vrsisium, p. 2. p. 89. qui inaugurationem Aquisgrani factam tradit*. Nisi tamen id auctoritate *Steronis* convelli potest, qui locuples testis est, Fridericum II. apud Moguntiam solenni ritu esse consecratum, *anal. ad an. 1213. ex edit. Henrici Canisii*. Vt cumque sit (omnia enim cumulare, immensi res esset operis) haec controversia A. cl. l. c. LIIX. IIX. Quintil. confecta, sanctioneque Caesarea Leopold. §. 37. confirmata est hunc in modum, ut praedicti Archiepiscopi atque *Electores* in civitatibus suarum *diocesium* separatis rationibus atque soli haec munia obeant, extra dioeceses autem iure alternarum ea consecrandi dignitate fungatur, insigni quidem, ut opinor, aequitatis temperamento, quod ad faciendam inter utrosque concordiam valuit, datusque est Coloniensi Maximiliano Henrico honor auspiciandae coronationis, ut testaretur Iohannes Philippus Moguntinus, totum hoc se paci remittere, rependereque beneficium suae sedi. Satis prudenter, ut alias solebat, dum viveret ille nostratis Germaniae Cato, fato tamen suo non satis cautus erga Francogallos, qui anno cl. l. c. LXXIII. ab eo talia postulaverunt. quae et libertati communis patriae, et honori Principis *Electoris* adversabantur.

IX. DE VERA ORIGINE SUPERIOR.
MOTUUM BELGICOR. EPISTOLA AD
PHILIPP. II. HISP. R. etc. c. II. C. S. S.

QVO